



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

Ad X Januarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)



EX VARIIS.

a Francus ait Kalendis Maii Septempedam intrasse.  
 b Vigilium fuisse tradit Francus. At si obiit S. Severinus, ut idem scribit, vi Kal. Maii, anno dxi, ergo dum pro S. Silverio exultante pontificatum administraret Vigilus, ordinatus est; cum ipse Vigilus anno primum dxi, legitime Pontifex electus sit: deinde oporteret eum exiguo omnino tempore vicisse.  
 c Francus quoque regimen provinciæ Severino commissum scribit.  
 d Quædam narrantur in priori Vita, eademque habet Francus.

DE S. FRODOBERTO ABB.

NOT. 132.

Vita S. Frodoberti a quo scripta.

Pag. 506, col. 1, nu. 4, priora ita restitue [Vitam S. Frodoberti ab Adzone, sive Azone, aut Assone, Abbate Dervensi scriptam tradit Cl. Robertus, et N. Des-Guerrois. Eane sit, quam ex MS. Cellensi edidit Nicolaus Camuzæus, haud nobis constat: nam hic Auctor ostendit se monachum fuisse in cœnobio Cellensi, cum cap. 3, nu. 11, ita scribit: Quod (privilegium) in archivis cœnobii nostri. Fuerit fortassis ex Cellensi cœnobio assumptus ad regendum Dervense in diocesi Catalaunensi. Sed nec ætas quadrare videtur: nam cum Adsonem constet anno 970 floruisse; hujus Vitæ scriptor innuit se centum fere annis prius vicisse: loquens enim de Sancti statura cap. 6, num. 23. Ut illi quoque perhibent, inquit, qui ejus sacratissimi corporis ossa se

aspexisse fatentur; anno videlicet 872, quando facta ejus est translatio. Sed potuit Adso usus fuisse monumentis monasterii Cellensis, atque inde ista transscripsisse.

DE S. CYRO EP. CP.

Pag. 531, col. 1, post elogium ex Menæis nu. 1, adde [MS. Florarium xi Decembris ista habet: Constanti-nopoli S. Cyri exiliati Episcopi. NOT. 133.

DE S. ERARDO EP.

Pag. 533, col. 1, post num. 2, adde [Aliquæ S. Erardi reliquiæ tempore Caroli IV Imperat. Pragæ translatae sunt; ita enim habet vetus Martyrologium Pragense xiii Decembris: Eodem die in Alsatia regione, S. Othiliæ, cujus reliquias et brachium Carolus Imp. obtinuit in Hohenburg ejusdem monasterio in diocesi Argentinensi, et donavit Ecclesiæ Pragensi. In quo brachio etiam reconditæ sunt reliquiæ S. Erardi Episcopi, qui S. Othiliam cæcam natam baptizavit, et a cæcitate illuminavit: quas reliquias Imperator obtinuit in Ratispona de monasterio inferiori. S. Erardi reliquiæ. NOT. 134.

## AD IX JANUARIIL.

DE S. PETRO EP. SEBAST.

NOT. 135.

S. Petri natalis olim 26 Mars.

Pag. 588, col. 1, post num. 1, adde [Vetustissimum MS. Martyrologium S. Hieronymi xxvi Martii ista habet: In Sebas. Petri Episcopi. Eodem die MS. Rhinoviense: In Sebastii civitate Petri Episcopi. Idem habet Bellinus de Padua Parisi an. 1321, excusus; nam in editione Veneta an. 1498, id non extat.

NOT. 136.

an is conjugatus fuerit?

Pag. 589, col. 2, post nu. 8, adde [Nam quod in S. Basilii Græca Vita narratur, de Petri continentia duplici prodigio testata, quam fidem mereatur suo loco examinabimus. Dicitur enim Petrus uxorem habuisse, eamque secum retinuisse etiam cum Episcopus esset. Quæ res cum sacris Canonibus adversaretur, Sebastenos offendit: quapropter ad Basilium Legatos misere, qui rogarent ut offensionis occasionem amoliretur. Profectus ergo Sebastiam Basilus, et benigne a fratre acceptus, quibusdam e Clero sub mediam noctem ostendit Petri et conjugis lectum ab Angelis circumdatum: postridie jussit fratris conjugem, mox et fratrem ipsum, vestem expandere, in quam ardentes prunas effudit, quæ horæ

spatio retentæ nec ipsos nec vestem vel levissime læserunt, illustri continentiaæ argumento. At qui probabile fit conjugio illigatum fuisse, et quidem Episcopatus tempore, quem illius ævi scriptores tradunt monasticum vitæ genus Basilii fratris exemplo sectatum? quem in iisdem adibus, in quibus Macrina soror Virginibus, viris religiosus præfuisse, Gregorius Nyssenus ejus frater testatur? Nam si quis contendat mulierem illam Episcopo cohabitantem, non conjugem ejus ante Episcopatum fuisse, sed in episcopatu ancillam, aut sororem agnatamve; atque inde sinistram aliquam ortam esse suspicionem; diserte vocatur ἰδὴ τῶν τῶν ἁγίων, ἀδελφὴ δὲ τῆς ἁγίας, nomine quidem, propria ejus uxor, usu vero et re ipsa soror. Dein κυρία νόμφη, Domina sponsa.

Pag. 590, post nu. 9, adde [Meminit Petri Palladius Diaconus in Dialogo de Vita S. Chrysostomi ita scribens: Amphilochem vero Ieonii Episcopum et Optimum Præsulem in Ponto, et Petrum Sebastii Antistitem Basilii fratrem, et Epiphanium Constantiæ Cypri Antistitem sanctos viros quid memorem; quibus illa et pecunias donavit et villas? NOT. 137. S. Olympiadiis eleemosynis adjunctis.

## AD X JANUARIIL.

DE SS. THECLA ET JUSTINA.

NOT. 138.

SS. Theclæ et Justinæ benefacta.

Theclæmater.

Pag. 601, col. 1, ad Præfationem adde [Anguste tamen in hac epitome SS. Theclæ et Justinæ gesta perstringuntur. Admiranda enim sunt, quæ utraque, sed præcipue Thecla, egit, visendis in carcere Martyribus, eorum redimendis sepe- liendisque corporibus, alendis iis qui latebras petierant, excipiendis peregrinis, familia omni ad pietatem instituenda, suis alienisque facultatibus in usus pauperum, ecclesiæque ædificia et ornatum erogandis; contemnendis, quæ tyranni intentabant, suppliciis: quæ omnia prolixè narratur in Actis SS. Alphii, Philadelphi, Cyrini, x Maii; S. Epiphanes, S. Alexandri, sive Neophyti, qui Theclæ consobrinus erat, conjugis invictæque Martyris, xii Maii; S. Agathonis Episcopi Liparitani, xxvii Junii; S. Euthaliæ Virginis et Martyris, xxvii Augusti: quibus in Actis sanctarum sororum et Martyrum Neophytæ et Isidore, quarum hæc Theclæ, illa Alexandri mater erat; SS. Mercurii et XIX so-

ciorum Martyrum; SS. Onesimi et Erasmi et sociorum aliorumque Sanctorum mentio fit.

DE S. PAULO I, EREMITA.

Pag. 603, col. 1, post num. 8, adde [At cum scribat S. Hieronymus infra cap. 3, nu. 14. Antonio a Paulo redeunti occurrisse duos discipulos, qui ei longo jam tempore ministrare consueverant; constet vero ex vita S. Antonii xvii Januarii, cap. 21, non nisi quindecim ante obitum suum annis, duorum illorum uti ministerio cepisse Antonium; non potest quindecim ante obitum annis susceptum illud fuisse ad Paulum iter. Nam quomodo longo jam tempore ministrare consueverant, si eo ipso anno primum erant adsciti? Quomodo vero nonagenarius ivit ad Paulum, cum sibi duo illi longo jam tempore ministrassent, si non nisi nonagenarius eos adscivit? Videtur S. Hieronymus nonagenarium appellare, pleno rotundoque annorum numero, qui nonagesimum expleset, nondam centesimum attingisset. Sic centenarius dicimus etiam centum annis majores, neglecto minore, qui ex-crescit, NOT. 139. Quando ad S. Paulum ierit S. Antonius.



creciscit, numero. Fuerit ergo tunc Antonius annorum circiter nonaginta septem; et sic omnia constabunt. Consule, quæ ad cap. 21, vitæ S. Antonii litt. b, annotavimus.

NOT. 140. Pap. 607, col. 2, post nu. 2, adde [Verisimile est non integrum Corpus S. Pauli fuisse Venetiis in Hungariam translatum, sed aliquas ejus partes. Nam Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi scribit, Venetiis etiamnum in æde S. Juliani asservari S. Pauli corpus, capite Romam translato; ipsosque S. Pauli sodales eas reliquias religiose anno 1626, mense Maio veneratos, vexillum in ea æde suspendisse ipsius sancti Eremitæ effigie insignitum; ac Patriarchæ supplicasse, ut sibi partem aliquam earundem reliquiarum donaret, in sua ecclesia collocandam. Particulam aliquam capituli Romæ in æde S. Mariæ quæ in Campitelli dicitur, asservari testatur Octavius Pancirolius in Thesauris absconditis almæ Urbis; alias item particulas reliquiarum ejusdem Sancti in aliis quibusdam Romanis basilicis eætare.]

S. Pauli reliquias Venetiis,

aliquæ Romæ.

## DE S. AGATHONE PAPA.

NOT. 141. Pag. 624, col. 1, post numerum 4, adde [Anno MDCXL, edita est Panormi, typis Antonii Martarelli, Vita S. Agathonis, a Francisco Scorzo nostro eleganter et fuscè descripta, quæ tamen haud alia fere complectatur, quam quæ sunt ab Anastasio tradita litteris, sed ad chronologiam Baronianam censuramque exacta. In ea, Panormi natus asseritur, atque ille esse Agatho traditur, quem S. Gregorius Magnus ep. 46, lib. 3, Urbico Abbati S. Hermetis commendat, jubetque in monasterium suscipi, si uxor illius similiter converti voluerit. Verum cum ea epistola data sit Indictione XIV, anno nimirum DCCVI, si tunc XVIII annorum fuisse Agathonem statuerimus, (neque sanè junior fuisse videtur) sequetur

S. Agathonis patria,

ætas,

anno DLXXVIII, natum esse: ergo centenarius erat cum est ad pontificatum evectus. Quis id credat? Existimat idem Auctor, Baronium secutus, non IV Id. Janu. sed Junii decessisse Agathonem, quæ de re mox agemus; sed quod eo die S. Oliva, Panormi itidem civis et Patrona, solemniter colatur, S. Agathonis celebritatem in diem consecrationis ejus protractam, eumque diem in posterum S. Agathonis recolendæ memoriæ statum servatum iri. Ea ritu, inquit, peragitur sollemnissimo, qui Patronis principibus civitatum est constitutus. Quod jam inde ab anno MDCXXIV, inceptum, cum Senatus Panormitanus, ut divinum numen propitium populo pestilentia laborantifacere, inter Patronos majorum gentium Agathonem allegit, quem allegaret ad Deum. Erecta ad id in templo primario eidem ara; positaque imago in tela graphice depicta. Cui deinde Urbanus VIII, Pontifex Maximus beneficium simplex, ut vocant, aureorum circiter mille addidit, dato ea de re diplomate anno MDCXXVII, regestoque in regia tabularia. Hæc ibi. Diem Ordinationis, qui, licet non exprimitur, dicatus tamen deinceps S. Agathonis sollemnitate dicitur, arbitramur decimum Julii indicari; ad quem diem Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Sicilia ista habet: Romæ Ordinatio S. Agathonis Panormitani in summum Pontificem.

EX VARIIS.

celebritas Panormi.

dies ordinationis.

## DE S. GUILIELMO EP. BITUR.

NOT. 142. Pag. 639, num. 1, lin. 13, ubi cum seminator etc. lege ex Bodec. MS. [ubi cum disseminator discordiæ, hostis generis humani diabolus seminasset discordias inter Clericos et Conversos; et licentiatas Clericis a Domino Papa] Ceterum extat hæc vita in quibusdam Breviariis Ord. Cisterciensis, et in citato MS. Bodecensi, cum alia persimili.

## AD XI JANUARIII.

## DE S. HYGINO PAPA.

NOT. 143. Pag. 665, col. 1, post nu. 2, adde [In Breviario Cardinalis Quignonii rejecta est S. Hygini commemoratio in xxx Januarii.]

## DE S. LEUCIO EP.

NOT. 144. Pag. 667, col. 2, nu. 4, Præf. lin. 11 post, conversione narrantur, adde [Idem tamen Monachus in Recognitione sui Sanctuarii testatur se nocturnum esse ejusdem Vitæ (quale ex MSS. Ecclesiar. Beneventanæ et Tranenensis hic damus) exemplar, in quo nec de Heleno Episcopo, nec de S. Eugeniæ conversione agatur: fatetur tamen in ea Vita multa sibi non probari.]

NOT. 145. Pag. 671, post cap. 3, adde [b Non probat Monachus, quod Alexandrinus Presbyter factus dicitur S. Leucius, cum monasterium, in quo cum S. Eugenia virgine degebat, Heliopolitano fuerit Episcopo subjectum. At quid si in alio, non in S. Eugeniæ, cenobio degebat? Eugeniæ, ut ipse fatetur, nulla hic mentio fit. c Longè post S. Leucii ætatem translatum Alexandria S. Marci corpus, ut 25 April. dicimus.]

NOT. 146. Pag. 673, in fine ad nu. 4, adde [b Marius de Vipera in Catalogo SS. Beneventanorum testatur S. Leucii reliquias Beneventi in Divi Sophiæ æde asservari: duo ibidem illi templa dicata, unum in urbe ipsa prope portam Summam, jam vetustate consumptum; alterum extra urbem, a quo pagus ipse S. Leucii dicitur, pro seqq. litt. b c d, pone c d e.]

## DE S. HONORATA V.

NOT. 147. Pag. 380, col. 2, adde in fine [m Antonius Maria Spella lib. de Epp. Ticinen. scribit Hippolytum Bossium Episcopum Ticinensem, cum majorem basilicam vellet ampliare, vetus illud Historiarum monasterium subruisse, translato S. Honoratæ corpore ad cenobium quod S. Mariæ dalla Caecie dicitur, solenni cum supplicatione anno 1567, 17 Aprilis, qui dies illius cenobii sanctimonialibus deinceps celebris est, S. Honoratæ dicatus honoribus.]

NOT. 147. S. Honoratæ nova translatio, festum 17 Apr.

## DE S. THEODOSIO CŒNOBIARCHA.

NOT. 148. Pag. 683, col. 2, initio num. 20, dele, In hoc celeberrimi, et seqq. 8, lineas, usque Hoc S. Theodosii monasterium. dele et quod in margine est, visitur ab Eudocia Augusta. Hauseramus id ex vita S. Sabæ, ut est a Surio et Lipomano edita. Verum ubi Græcum exemplar consulimus, et vetus Latinum MS. vidimus non Theodosii, sed Euthymii montis institutam Eudociam fuisse, quod et 20 Janu. monuimus ad Vitam S. Euthymii cap. 14, litt. h, pag. 310.

## DE S. TATONE MONACHO.

NOT. 149. Pag. 713, col. 2, lin. penult. post, Hæc Ferrarius, adde [Eademmemorat Marius de Vipera lib. de SS. Benevent. part. 2, ex monumentis monasterii S. Vincentii.]

NOT. 149.

